



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Reverendissimi Ac Illustrissimi Domini Domini Francisci
Fenelonii Archi-Episcopi Cameracensis, Et Quondam Ab
Humanioribus Litteris Serenissimi Ducis Burgundici
Telemachus**

Fénelon, François de Salignac de La Mothe

Francofurti, 1744

VD18 11007532

Lib. XIX. Argumentum. Telemachus in Campis Elysiis. Gaudia bonorum
Regum, & Domitorum gentium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69283](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69283)

Tartarum, quòd se improbis & simulationis artificium probè edoctis hominibus permiserunt. Torquebantur propter ea flagitia, quibus patrocinati fuerant perverso potestatis & dignitatis suæ usu. Quid? quòd plerique istorum regum nec boni nec mali fuère; tanta erat illorum fragilitas. Quam quidem cognoverunt numquam; sed neque, ut cognoscerent, curabant. Expertes suavitatum, quarum mater virtus est, noluerunt voluptatem suam in exercitatione usúque probitatis collocare.

TELEMACHUS.

LIBER XIX.

Sub ipsum ex his locis digressum iuvenis cum liberiore spiritum velut amota ingenti mole reciperet, intellexit, quanta esset in his carceribus detentorum spe nulla inde exeundi infelicitas; reputansque cum horrore, quòd vidisset regum quàm cæterorum hominum delicta gravius plecti: Regum ergo, inquit, tot sunt officia, pericula, insidiæ, & labor penè infinitus rectè cognoscendi, quòd se se ab aliis & à se ipsis defendant? Has demum tamque crudeles pœnas tolerant in Inferis post spatia vitæ tam brevis, tam molestæ, ærumnosæ? Ut infaniunt, qui imperio dedunt cupiditatem; sapiunt autem, qui extra magistratus sibi putant acquiescendum in vitæ tranquillæ curriculo, ubi liberior cursus virtuti permittitur.

Cœperat animus talia meditantis commoveri: trepidabat: magnòque subeunte horrore sensit desperationem menti insinuari haud valde absimilem eorum, quos modò in tormentis conspexerat.

Ce-

Ceterùm quò abibat ab illa sede tenebrarum, formidinis & desperationis; eo magis recuperabat se vigor constantiæ. Confirmabatur. Iamque è longinquo vidit initia lucis ex sede Beatorum emicare.

Agebant hîc loci, qui olim in mortalibus fuerunt iustè pieque dominati. Seiuncti à reliquis ordinibus Beatorum, fruebantur longè, quàm dici queat, maiore præ cæteris hominibus, qui virtutem coluere, lætitia; quemadmodum mali Principes longè quam dici queat, multabantur atrocius præ facinorosis è vulgo.

Propinquabat his regibus Iuvenis. Inter sylvas morabantur, quarum mirabilis odor aut exstebat, aut crescebat ex perpetuò renascentium rosarum adolescentia. Sine numero rivuli manabant perennibus aquis. Auræ ex illis frigidulæ. Avium tam frequens, quàm miræ suavitatis obsequium. Veris & Autumnus partus coævi; illi subnascentes incedentium vestigiis, hi suspensi ramis legentium manibus; ambo ad aspectum voluptatis. Non Sirii præter modum æstus, non ex septentrione flatus, non hyems è Caucaso violant locum: non bella, quæ helluantur humanum sanguinem; non venenato infesta dente, convolutisque inter se viperis, pectus brachiisque perlabentibus, horribilis Invidia; non rivalium amorum, non alia suspicio; non metus, non vana inutiliæque desideria offendunt. Nec vesper aut nox illi se ingerit. Lux pura nitidæque circumfusa Iustorum corporibus radios suos vestis ritu accommodat, diversa prorsus à luce, quæ, quantumlibet miseros oculos illustret mortalium, à caliginè tamen non differt.

Glo-

Gloria potius est cœlestis, quàm lux. Pervadit crassissima corpora acriùs longè, quàm solares radii purissimam crystallum. Non perstringit oculos, sed acuit, oriturque ex ea in intimis animi mira serenitas. Illa sola vescuntur Beati. Quos ultro citròque permeat; ita se penetrans, ut passim diffusa, in eosdem, perinde atque in corpus nostrum alimenta, absumatur. Illam vident, sentiunt, in eaque vivunt. Fontem pacis & gaudii inexhaustum in ipsis elicit. Immerguntur abyssu voluptatis, præ quàm pisces Oceano. Nihil requirunt: Nihil deest etsi nihil habentibus: præstat sapor integerrimæ illius lucis, quantum esuriunt. Desideria planè integrèque expleta effert plenitudo sinceræ voluptatis ultra id, quod in terris fames inopiâque hominum venatur. Circumfluuntur deliciis; sed eas ducunt nihil. Quippe sensum oblectationum, quas vident extra se, non admittit interior illa summaque felicitas: velut Nectare & Ambrosia pasti Dii infra se ducunt cruda mortalium obsonia in lautissimis eorum conviviis delibare. Adversis molestiisque nullus huc aditus; quem etiam mors, sinistra valetudo, egestas, dolor, tristitia, ægritudo conscientia, metus, metùque subinde non lætior spes, discordia, fastidia nequicquam moliuntur.

Concutiantur licet fundamentis suis, quæ ad ipsum centrum terræ descendunt, evulsa Thraciæ cacumina, quæque inde à principio rerum universalium nives glaciemque suam intulère sideribus: at animi hominum, quos Iustitia his locis inseruit, nec tantillo movebuntur. Tanguntur & unice quidem, miseratione calamitatum, quæ mortalibus
inci-

incidunt; sed miseratione placida, & moderata, quæ felicitatem eorum non violat. Flos ætatis numquam intermoriturus relucet vultu, prosperitas nullis admovenda terminis, dignitasque divina ex asse. Gaudium, quocum incedunt, non dissolutum, non propinquum insolentiæ, sed suave, generosum, plenûmque dignitatis; éstque acerrimus sensus veritatis atque virtutis, quo gestiunt extra se concitati. Momenta singula sine perturbatione animis subvehunt dulcedinem, quantam matribus aspectus filiorum, quos iam deploravêre intermanes; nisi quod matrum non diuturna, illa perpetua sit. Non artenuatur vel momento: non obsolescit. Velut ebrii quamquam nullo vitio rationis aberrant à sensibus. Adsciscunt in sermonem, quæ aut vident aut sentiunt. Calcant pedibus molles illecebras, fastûmque conditionis præteritæ, quem prosequuntur gemitu. Cum voluptate recordantur tam maligni, quàm non diuturni temporis, quo, ne à probitatis extruderentur semita, contra se ipsos, contrâque torrentem depravatæ multitudinis cogebantur dimicare. Admirantur Deorum auxilium, quo per tot discrimina trahebantur ad virtutem quasi manu. Divinum est, nec manifestum humanæ rationi, quod pergit se insinuare interioribus animi quasi torrens divinitatis, quacum iunguntur. Vident & gustant se beatos esse, & semper fore persentiscunt. Canunt laudes; habentque unam duntaxat vocem, cogitationem eandem, idem cor. Una eadêmque felicitas æstus in modum com meat in concordibus animis.

In hac divina à sensibus alienatione constitutis sæcula multò citiùs præterlabuntur, quam horæ

mor-

mortalibus; adeoque nihil voluptati detrahatur
 curriculô sæculorum iterum atque iterum emensô,
 ut perseveret non modò integerrima, verùm in-
 stauretur etiam sine intervallis. Omnes singulique
 regnant non in folio, quod metuat humanas ma-
 nus; sed in se ipsis & cum potestate, quæ vicissitu-
 dinem non recipit. Neque enim opus habent de-
 inceps à vili & imbelli populo commodata aucto-
 ritate se reddere terribiles. Sed nec illas iam Cida-
 res gestant, quarum augustus ad oculum splendor
 tot metus, tot curas celat. Coronas autem ferunt,
 impositas Deorum manu, immunes ab iniuriâ.

Telemachum, tum desiderio patris sui, tum spe
 reperiendi eius suspensum in tam beatis locis, tan-
 to opere affecit pacatæ iucunditas felicitatis, ut hic
 molestus ipsi non accidisset patris aspectus. Postea
 certè ad morituros primùm homines coactus re-
 dire, adeò cruciabatur animi, ut exclamaret: Hi
 verò vitam, nos mortem vivimus. Ceterùm illud
 vehementer Iuvenem concussit, quòd tot reges vi-
 derat in Tartaro, tam ferè nullos in Elysiis. Inde
 ergo intellexit, reges paucos habere sat constantis
 animi & ad se, & ad vincendas tot adulatorum
 blanditias, qui omnes regum cupiditates vinculis
 liberant. Bonorum ergo regum perexiguus est
 numerus: malorum verò maximus & usque adeò
 à rectè factis deficiens, ut ab æquitate deficerent
 Dii, nisi extractos è vivis damnarent supplicio,
 postquam tam diuturnum abusum regiæ potestatis
 non repugnanter indulserunt.

Nusquam inter hos reges genitorem Telema-
 chus vidit. Avum ergo, divinum Laërtem, oculis
 putabat requirendum. Id nequicquam actitanti
 super-

supervenit venerabilis & augusta forma senex, cuius ætas alia erat atque illorum, quos, dum vivunt, in terram pondus annorum inclinat. Notæ tantùm supererant, ante mortem natu grandiolem fuisse. Quidquid gravitatis senium, iuventus suavitatis habet, in illo se collegerat; sub ipsum quippe in Elysios agros introitum senibus etiam effœtis ornamenta redduntur viridioris ætatis. Festinatò se offerens, Telemachum perhumaniter, & mirificè diligentis specie intuetur, multùm & anxie hæsitantem in ignoti hominis aspectu.

At ille: Condone tibi, inquit, mi fili, ignorantiam mei. Arcesium vides, Laërtae patrem. Vivere desii ferè, cùm Troianam profectioem ingrederetur Ulysses nepos. Tu verò inter nutricis ulnas tum agebas ætatem primulam. Ex eo iam tempore indolem tuam in spe optima posui; & rectè quidem. Video te ad Plutonis regnum ad quærendum patrem descendisse. Video huic voluntati tuæ non alienos Deos. Fortunate fili! amant te Dii, & cum Ulyssis gloria eunt coniunctum tuam. Sed & fortunatum me, quòd rursus te aspicio. Cessa hic Ulysses investigare loci. Vivit & vivit ad familiæ nostræ in Ithaca resuscitandum decus. Laërtes carpit adhuc vitales auras, nutritque canos ultimos. Et ipse Ulysses expectat suum, qui morientis oculis imponat digitum. Homines ergo florum ad instar transeunt. Qui mane exordiuntur vernantem adolescentiam; lapsi vespere aridum in senium, vestigia incedentium ferunt. Humanæ vitæ spacia celeritate transmittimus aquarum torrentium. Quid enim potest cursus reprimere temporis, vel illa, quæ moveri non videntur posse, secum

auferentem? ætate hac tam florida, tam iucunda te ipsum fili, fili, inquam, velim meminisse, hunc annorum tuorum florem florem esse, vivendi non lentius maturaturum finem, quam maturavit initia. Hæc venustatis iucunditas, hæc ad delectandum suavitas, videbis, ut ipsam se destituat. Dilabetur robur, valetudo, alacritas tanquam formosæ inter somnum imagines, nec nisi tristem relinquent sui memoriam. Tum exhausta & ab oblectationibus aliena senectus adrepet: rugis te obferet: corpori erectum habitum, vigorem artubus demet: exorbitabit fontes, unde tuæ in animo lætitiæ: obruet te nausæ præsentium: terrebit metu futurorum: languenti denique stuporem ad omnia, nisi quæ dolent, immittet. At enim longè absunt hæc tristitia? Imò properant; imò iam imminent. Neque enim à te procul esse putandum est, quod tanta celeritas advehit. Sed & ipsum præsens, quod præter labitur, iam est procul à te, quando, dum loquimur, desinit adeò, ut in posterum haud valeat recuperari. Spes ergo tuas, fili, averte à præsentibus, & perseverans in ardua semita virtutis respice futura. Puritate morum & æquitatis industria in his æternæ pacis sedibus tibi para locum. Videbis deinceps, nec multò post, genitorem tuum pristinum recuperare decus in Ithaca. Et tu natus es quidem, ut ab eodem sceptrum accipias. At regiæ ô insignem fallaciam dignitatis! quam si è longinquo aspiciamus, grandescit, splendet, delectat; spinas & tribulos obiicit intuenti propius. Licet vulgo sine noxa degere vitam solitariam, iucundam, otiosam; at non licet præter honoris sui discrimen regibus, otia tranquillæ vitæ molestiis ante-

ante-

antehabere imperandi. Tenetur, quibuscunque præest, necessitudine; nec suus esse unquam permittitur. Erroris etiam minimi, quem errat, quoniam nocet integris populis & per multas sæpe ætates, talis semper est noxa, cui nec modus reperitur, nec ratio. Regis est coërcere improbos, tueri innocentes, extinguere criminationes, & calumnias. A malefactis non sufficit immunem esse. Tenetur insuper ad rectè facta incumbere, & quibus res opus habet publica, providere. Quid? quòd neque illud satis est, regem ipsum rectè facere, nisi etiam mala impediatur, quæ homines, existente impunitate scelerum, committerent. Time igitur, fili, time vitam, quam vivere non possis sine periculo. Indue roboratam audaciam animo resistendi tibi, cupiditatibus, adulationi.

Videbatur divinus quidam æstus incitare tam salubria monentem; intellexitque Telemachus ex oris habitu, eum differere de malis, quæ regis dignitati adiunguntur, cum singulari miserationis affectu. Addidit senex: Regia potestas, propriæ voluptatis ergo si suscipitur, monstrum & tyrannis est; summa verò servitus, servienda strenuâ heroicâque patientiâ, si causâ officii, & paterno in innumerabiles populos animò. Quamquam & illud certissimum est, qui vera cum virtute imperarunt, in his locis possidere, quantum ad perfectam absolutamque felicitatem potest facultas Deorum tribuere.

Hi sermones, ut proferebantur ab Arcesio, haud leviter penetravere juvenis animum. Impri-
mebant se pectori, quantum incisæ periti artificis
scalprò, ad seræ posteritatis oculos transmittendæ,

imagines æri. Flamma quædam erant, cuius acutissimam vim Telemachi præcordia non valebant inhibere. Sentiebat se moveri, accendi. Divinum, nescio quid, erat, quo videbatur cor eius liquefcere. Gerebátque in intima sui parte aliquid, cuius occulto morfu consumebatur. Non retinere id poterat, non tolerare, non vim eius repellere. Sensus quidam erat simul vehemens, simul delicatus, mixtus doloribus, qui satis essent ad exanimandum hominem.

Subinde Telemachus potitus liberiore spiritu, vidit Arcefi vultum Laërtæ ferè æqualem esse. Recordari etiam quoquo modo, etsi non satis explicatè, se putabat, hanc facilem oris conformationem multam in genitore, cùm in Troianum irer se daret, fuisse.

Ipsa verò hæc recordatio tetigit iuvenem. Gaudio mixtæ lacrymæ decorè fluebant. Cupiebat amplecti tam charum caput; & tentavit etiam, tametsi non crebriùs, quàm inutiliùs. Eximebat se amplexui elapsus spiritus, ut per somnum obiecta dormienti, quam appetit, species. Nunc fugientes aquas infectatur siti perustis faucibus: nunc movet labia, moliturque verba, quæ torpenti linguæ frustra imperat: aliàs extendit nihil prehensuras manus. Ita neque Telemacho fas erat comprehendere, ad quod se ardor eius exporrexerat. Percipiebat Arcesium visu: sentiebat aure: compellabat sermone. Ceterùm contingere manu non potuit. Cœpit tandem, quinam circa eum viri essent, percontari.

Fuère isti, quos vides, Senex inquit, ornamenta suorum temporum, & gloria felicitasque humani
gene-

generis. Vides hîc, quantus regum illorum numerus, qui se dignos sceptro, & Deorum in terris officium præstiterunt. Alios his proximos vides, ceterùm nubecula separatos; qui longè inferiore gloria potiuntur. Quamquam enim Heroës sunt: At nequit merces bellorum, quæ gessere, cum præmio regum sapientum, iustorum, & bene aliis facientium comparari.

Ecce in istis heroibus Theseum subtristi vultu. Versutæ sceminae (hoc infortunii sibi invenerat) minùs cautam fidem habuit; & adhuc dolet, mortem filii sui Hippolyti à Neptuno se iniquis precibus impetrâsse. Felicior nunc esset, si quondam ad iram tardior. Sed & Achillem aspice, hasta excipientem corpus, fatigatum ex vulnere, quod plantæ eius incussum sceminea Paridis manu vitam heroi abstulerat. Si sapientia, si æquitate & temperantia æquâisset imperterritum animum, diuturnum sceptrum ipsi annuissent Dii. At miserti Phytotarum Dolopumque, in quos hic Pelei dominaturus fuisset hæres, noluerunt tot populos committere homini præfervido, & in furorem turbulento pelagô proniori. Mutilavêre Paræ, quod vitam eius suspendebat, filium. Par vix nato flori, quem seu vomis decutit; seu ipse adhuc natalis vesper ornamentis exspoliat. Usui certè Diis non fuit, nisi quem ex torrentibus & tempestatibus ad castiganda flagitia hominum consequuntur. Ad prosternenda Pergama ob Laomedontis perfidiam, & Paridis iniquos ausus Achille voluerunt uti. Erat instrumentum vindictæ eorum; qua facinorosis adhibita, satiati, hunc pubescentem & supra vulgus militem, quoniam non nisi ad affligendos

gendos homines oppidâque & regna evertenda videbatur natus, neglecto Thetidis fletu iudicabant in terris non diutiùs relinquendum.

En alium ibi torvo vultu! Ajax, Telamonis filius & Achillis propinquus est. Quantam ille ex rebus belli gestis laudem, noveris utique. Contendebat post Achillis mortem arma eius uni sibi deberi; quæ parens tuus neutiquam illi arbitrabatur concedenda. Ulyssi adiudicata sunt. Ergo ille violentas sibi inferre manus desperationis impetu. Ægritudo & furor emicant adhuc offensi vultu. Propiorem cave illi te facias. Crederet te velle calamitati, quam subiit vera commiseratione dignam, illudere. Ut (quod advertis) nos acerbè respicit! Ut in obscuriorem nemoris partem festinanter se odio nostrî coniicit! At è regione Hector æcum moratur ibi; invincibilis profectò, nisi æqualem eius Thetis peperisset. Ecce tibi prætereuntem Agamemnonem, notisque cruentis vel adhuc loquentem Clytemnestræ scelus. Horresco, fili, quoties miserabiles casus huiusce ex Tantalo generis recordor, quod abominatione & sanguine fœdârunt fraternæ (Atrei & Thyestæ) discordiæ. Ut scelus unum causa est aliorum magno numero sequentium! Agamemnon posteaquam ex Troiana obsidione imperator deportâisset Græcorum exercitum, non potuit bellicæ fructu laudis cum otio frui. Atqui hoc idem fatum est omnium, qui expugnandis regnis se dedêre. Quoscunque hîc vides, bello fuerunt terribiles. Quoniam verò nec humanitatem, nec virtutem coluerunt serîdò, fecundas tantùm in sedibus beatorum tenent.

At

At præsentés isti exercuere iustum imperium, eosque amabant, in quos exercuere. Amici Deorum sunt. Dum Achilles & Agamemnon fervent consuetis rixis & contentionibus, atque adhuc conflictantur cum molestiis præteritæ vitæ, suique vitiis ingenii; dum vitam, quam perdiderunt, prosequuntur gemitu, pigetque modò non nisi imbelles inanésque spiritus esse: Reges illi, quorum à iustitia existit commendatio, divino lumine, quo nutriuntur, probe castigati, felicitatis beatissimam copiam possident. Contemplantur molli animo turbas mortalium, summásque res, quibuscum dimicat humana ambitio, in contentionibus ponunt infantia. Satiantur intelligentia rerum & virtutis, quam ex ipsis originibus petunt; non iam sibi ipsis infesti, non obnoxii aut desiderii, aut inopiæ, aut formidini. Absolverunt omnia excepto hoc gaudio, quod absolvi non potest.

Inachum hunc, perverustum regem & auctorem Argivorum considera. Vides, quanta illi in summa ætate mansuetudo & auctoritas. Invitant vestigia eius subternascentes rosæ. Invidiam altibus movet agilitate incedendi. Intercinente lyra, quam gerit manu, sopitisque sensibus perpetuò liber celebrat Deorum miracula. Ambrosiæ odor è labiis: è fidibus & gutture ad homines Deosque afficiendos sonus. Hæc scilicet præmia sunt charitatis, qua institutæ à se civitati legibusque initiatum populum diligebat.

Altera parte infra illas myrtos vide sis Ægyptium Cecropem. Athenæ, Palladis civitas, ex qua sibi induit nomen, primò illius imperiis paruit. Cecrops enim postquam salutare quosdam leges

ex Ægypto, Græcarum scientiarum & morum patria, secum transtulisset, absterfa feritate urbes Atticas ad humanitatem & vinculum commune societatis instituit. Rex iustus, humanus, misericors; reliquit superstitem vitæ suæ populum divitem, familiam duntaxat mediocrem; quoniam nolebat post se quemquam ex suis sceptrum capessere, cui reputabat digniorem manum ab aliis posse admoveri.

Non prætereundus in hac modica valle Erichthonius, qui rationem signandi argentum invenit primus; quod quidem eo spectabat, ut inter Græcas insulas expeditiora essent commercia. At satis prævidebat, magnis incommodis vacare hoc inventum non posse. Ergo coactis concionibus: Naturales divitias, inquit, quoniam hæ quidem veræ, germanæque divitiæ sunt, ut augeatis, omni vobis contentione est allaborandum. Colite terram ad frumenti, vini, olei, fructuûmque comparandam copiam. Rei pecuariæ, unde lac alendo corpori, lanæ operiendo proveniunt, pro viribus quisque insistite. Ita semper profligabitis inopiam. Quot vobis liberi, tot adiumenta gignentur, si ad laborem institueritis, ditescendi. Exhauriri nequit telluris fœcunditas. Crescit pro numero incolarum, qui illi iustam dant operam, cuius quidem largam mercedem reportant; ut, qui segniter colunt, vel tenuissimam vel nullam. Veras, inquam, divitias, quæ ad veram necessitatem hominum faciunt, omni diligentia quærite; ut augeatis, insistite. Iam æs signatum nequaquam curabitis amplius, quàm aut ad bella necessaria opus erit foris gerenda, aut ad mutationem mercium, quibus neces-

necessitatem vestram patria terra destituit; tametsi usum rerum, quæ uni luxuriæ, vanitati, illecebris assistunt, omnino censeam abolendum.

Illa porro verba Erichthonio familiaria fuere: Vereor, filii, ne inventa moneta rem vobis inveni-
nerim pestiferam. Ut iam nunc mihi præfagit animus; gignet avaritiam, fastum, insolentes spiritus. Artes alet sine numero, quarum fructus unicus mollities & corruptela morum. Pacatæ securitatis fulcrum unum, beatam simplicitatem, vertet in nauseam. Agriculturam, illam basin humanæ vitæ, scatebramque omnium, quæ verè bona sunt, in rebus ignominia ponet. Ego verò Deos testor, id inventi genus, quod per se commodis suis non caret, me vobis vera sanctissimæque voluntate tribuisse. Tandem Erichthonius compertô (id quod præviderat) populos ob pecuniam vergere in deterius, se præ dolore in montem horridum incul-
tûmque abdidit, ubi ad ultimum senectutis inopem vitam tulit & usque adeò solitariam, ut quæ speciem præferebant magistratûs, à se prorsus aliena reputaverit.

Haud multò post Erichthonium surrexit in Græcia Triptolemus, insigne nomen, quem Ceres agriculturâ erudit. Et tum quidem homines iam intelligebant frumentorum nomenclationem, quaque au-
geantur ratione ex seminibus. Ceterùm artem ipsam colendi agri non callebant. Adest ergo à Cerere missus Triptolemus, tenensque burim manu, offert Deorum munera quibusque populis, ab amico segni naturæ otio strenuè se translaturis ad opus. Protinûsque Græcos docet glebam scindere, per-
ruptoque sinu eius, præparare ad fertilitatem

Subinde videre fuit exiguo temporis intervallo messorum incenso infractoque à laboribus animo per agros omnes expedita falce stragem flaventibus aristis immittere. Gentes barbaræ indomitæque, quæ in Epiri & Ætoliæ sylvis ad investigandas, unde victitarent, glandes palabantur dispersæ, ipsæ induere humanitatem cœperunt, edoctæque disciplinam frumentorum, & panem accommodandi in cibum, publicis moribus & legibus vivere. Concessum tum Græcis est auctore Triptolemo sentire, quàm dulce sit, præterquam labori suo divitias suas debere nemini, atque in propriis agris, quidquid ad commodè & beatè vivendum esset satis, reperire. Enimverò hac tam simplice, quàm non iniqua copia, quæ cum agrorum est coniuncta cultu, admonebantur, quàm salubria Erichthonius suafisset. Incipiebat ipsis vilescere pecunia, & quascunque opes ex artium usu comparamus; quæ non nisi ex æstimatione opes sunt, & illecebra hominibus ad voluptates, ac fastidium laboris, qui unus sinceram fortunam & ingenuos mores præter summam libertatem impertitur. Patuit ergo omnibus, fertile solum cultumque verum Thesaurum illius gentis esse, quæ tantum concedit sapientiæ, ut à maioribus suis accepta frugalis vitæ exempla putet æmulanda. Felicem sanè Græciam, si his præceptis institisset, quibus licebat potentiam, libertatem resque prosperas, tum operam dandò sinceræ virtuti perpetuæ salutis munus demereri. At pro dolor! Iam eidem magni falsæ sunt divitiæ; veræ sordent. Simplicitas, cuius vis tam mira, habetur despiciatui. At tu, fili, qui in solio quondam residebis, memineris tum,

rum, populos reddere agrorum cultui, hanc artem collocare in gradu, eam exercentes levare subsidiô; prohibere denique, ut quisquam vel otio se dedat, vel institutis ad fluxum. Talia quoniam his ambobus fuerunt curæ, idcirco istis in locis fruuntur Deorum benevolentia. Sic habe, fili, dignitate & gloria eos tantum præcedere Achilli, ceterisque, quorum solis in bellis enituit decus, quantum pubescentis veris amœnitas. Caucaſeæ hyemi, solisque iubar magnificentum Lunæ non tam lumini quàm pallori.

Adverterat Arceſilaus, dum huiusmodi documentis nepotem instituit, cum subinde immemorem oculum declinare in ſylvulam lauris confitam, rivulumque marginibus devolventem se, quos præter alias horti delicias, quæ odore valent, violis, roſis, liliisque mitior natura obſeverat, ea ſpecie, quam Iridi conſpicimus ineſſe, cum in terras ad ferenda Deorum mandata labitur. Ibi Seſoſtrem regem Telemachus aſpexit magnificentia incredibiliter atque olim in Ægypto ampliore. Prodibant ex oculis radii; qui quantumvis lenes aptique ad demulcendum, obruebant iuvenis utrumque lumen. Potuiſſet intuentibus videri abunde Nectaris bibiſſe; tam non mediocris erat animi eius per divinum ſpiritum à ſenſibus diſceſſus: Qui ut nulla ratione percipitur, ita mercedem dependebat regiæ virtuti.

Tum verò Telemachus ad Arceſium: Video, inquit, mi pater, quem non diu eſt, cum in Ægypto ſua vidi, Seſoſtrem regem. Hunc ipſum Arceſius reſpondet, & exemplum liberalitatis vides, qua præmia honorum regum adornare amant Dii. At enim

enim

enim hæc omnis felicitas nulla erat futura ad eam, quæ illum manebat, nisi fortuna, propitia præter modum, constituisset moderationis & iustitiæ neglectæ reum. Nempe ardore premendi Tyrriorum insolentiam ad urbem ipsorum impellebatur perdomandam. At hæc ipsa victoria protinus desiderium accendit arma eâdem propagandi forte: vanaque opinione bello invictorum hominum prolapsus in eorum vestigia, populabatur Asiam. Reversus in Ægyptum, fratrem vidit asserto sibi sceptro, & abusu vendicatæ potestatis optimas leges evertisse. Itaque ingentes armorum suorum progressus haud alium tulere fructum, nisi quod in regno suo domesticæ cursum tranquillitatis stiterunt. De cetero maximum probrum eius in infano quodam amore dignitatis suæ fuit. Quippe importunissimos quosque regum, quos vicerat, iungebat currui. Quamquam hanc maculam crudelitatis haud ignorabat perpetuò, sed ruboris denique argumentum habuit. Quæ quidem cum ex victoriis eius incommoda sint nata: facillè intelliges, provinciarum domitores, quando finitiorum quieti regnisque insidiantur, sua ipsorum regna & provincias, quin & se ipsos oppugnare. Certè rebus tam alioqui iusti, tamque benefici regis istud non modò cladem intulit, sed vel nunc destinatæ à Diis gloriæ partem decerpit.

Numquid & alium ibi vides, fili, cuius è vulneribus mirabilis splendor emanat? Rex quidam est Caria. Dioclidem dixere. In pugna se obtulit cadendum pro populo, quoniam oraculum docuerat, bellum inter Carios & Lycios gentem illam evicturam, cuius rex occubuisset in acie.

Alte-

Alterum illum considera. Legislatoꝝ est sapientiaꝝ acumen delicatum fortitus. Postquam enim civibus suis id genus tulisset leges, quibus & virtuti eorum & felicitati consulebatur: iusiurandum fecit ab omnibus interponi, legum istarum quamdiu ipse abesset, nullam violaturos. Quo facto profectus è patria sponte perpetuòque exul, denique in extrema rerum inopia apud exteram gentem obiit, ut hac fide populum suum ad perpetuam legum tam salubrium observantiam obstringeret.

Est porro, quem illic præ oculis habes, Euneſimus, rex Pyli, atque unus eorum, qui sapientem Nestorem præcessere in imperio. Pestifera lue exspoliante terras, ripasque Acherontis obserente hospitiùs Umbrâs, precabatur is Deos, si morte sua fas esset noxam redimere tot populorum, ponerent ipso sublato iræ modum. Compotem piissimi voti, huc loci & ad veram regis dignitatem transtulerunt, ad quam mortalium regum splendidissima insignia vix umbræ merentur nomen.

At ecce! senex, qui illac subit coronatus ferto, Belus est, de quo tam operosè fama. Regnabat in Ægypto. Anchinoën acceperat nuptui, filiam Nili Dei, cuius aquæ tam sunt ignotæ suis à fontibus, quàm ad conferendas terras, in quas inundant, salubres. Erant duo filii eius Danaus, cuius tibi nota historia, & Ægyptus, ex quo illustrissimo Imperio nomen. Belus tum ob divitias & fortunas, quibùs atgebat suos, tum ob amorem, quo stringebatur ab suis, longè quàm ab imperatis asperrimis tributis & censibus se æstimabat copiosorem. Hi homines, quos tu, fili, excessisse putas

è vi-

è vivis, vivunt, & adedò, ut vita, quæ mortalibus inter miseras defluit, mortis quædam mereatur species haberi. Sola inter se nomina mutata sunt. Dii te velint tanta probitate instruere, quæ dignum istius vitæ te faciat, tam fortunatæ, æternæ, tranquillæ. Abitum hinc propera. Ad quærendum genitorem hora te revocat. Quem priùs, quàm invenias, quantum visurus es heu! manare sanguinis; quantum autem & manare in te ex Hesperia visurus es gloriæ! Consilia sapientissimi Mentoris monitæque fac numquam dimittas ex animo. Quæ si sequenda statueris, fama nominis tui ad omnes gentes, temporùmque ætates perveniet.

Protinùsque Telemachum ad eburneam portam deduxit, qua Plutonii regni caligines permittunt exitum. Discessit ab eo iuvenis cum fletu, & inter desideria inutilia ultimi amplexus. Inferiorum ergo locorum exsolutus tenebris, posteaquam ad Cretenses illos, qui, petenti ad fatalem specum comites, inde reversurum interea desperaverant, rursus pervenit, ad castra sociorum festinavit reditum.

TELEMACHUS.

LIBER XX.

INter hæc Principes exercitus habuêre consilium, utrum occupanda esset Venusia. Urbs erat à munitionibus firma, quam olim Adrastus Bruttis, vicino Apuliæ populo, eripuerat. Unde ut hæc levarentur iniuriâ, adiunxerunt se fœderi. Adrastus] quidem ad mitigandos eorum animos Lucaniis urbem tradiderat tuendam. Ceterùm mune-